



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 2. Concilii consecutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.

A. C. 1351.

Lib. 21. c. 1.

c. 3.

n. 10.

c. 4.

Sic finis impositus alteri sessioni. Tertiam octavo vel nono Junii Catholici oriebantur a sua professione fidei: tum legebant viginti puncta e libris Palamantis excerpta, ac errores hujus continentia. Coepta sunt discuti: sed postquam tria inspecta & damnata erant, interveniens nox sessioni finem attulit. In quarta & ultima continuatum fuit examen viginti punctorum: & Palamas, ut doctrinae suae auctoritatem tribueret, curavit legi aliquos Patrum locos, sed maxima ex parte corruptos; vel a vero sensu detortos. Denique Palamantis doctrina per sententiam concilii approbata, imperatum catholicis silentium, duo Episcopi Ephesinus & Ganensis exauthorati, & dignitatis suae insignibus exuti. Longa erat hæc sessio, nec nisi post accensa funalia finem habuit etsi adulto tunc Junio. Post aliquot dies Gregoras domi suae velut in carcere manere jussus.

§. II.

Concilii consecutiones.

Palamitæ composuerunt librum, quo decretum hujus concilii proponebant: sed hoc scriptum nec actis, nec judicium veterum conciliorum est simile. Est longa declaratio continens amplissimos locos communes, laudes Cantacuzeni, Pala-

Combes.
auct. noviss.
p. 135.

Palamantis, & Patriarchæ Callisti, mul-^{sæcul. XIV.}
 taque convicia in Barlaamum, Acyndi-^{A.C. 1351.}
 num, & Gregoram; omnia stylo a mo-
 deratione alienissimo, ac verbis innume-
 ris redundante, sed sine factis speciatim
 expositis, quin etiam sine ascripta die.
 Palamas, qui hujus scripti esse author
 videtur, ibi suam opinionem de lumine
 Thaboris probare studet per plures Pa-
 trum Græcorum locos, sed a vero sensu
 deflexos: & omnes ejus ratiocinationes
 spectant ad potentiæ divinæ miracula
 cum operatione, quæ horum causa est,
 confundenda, & ad hanc operationem a
 divina natura reapse distinguendam, ve-
 luti divinæ Personæ inter se distinctæ
 sunt. Liber iste meminit de sessione *p. 146. D.*
 quinta post quatuor a Gregora memora-
 tas habita: quæ sine dubio solorum Pa-
 lamitarum fuit, cæteris quasi ex Juris
 forma damnatis portam reditus ad do-
 ctrinam sanam aperire, ut ajebant, cogi-
 tantium. Hac in sessione lectis iterum
 permultis Patrum locis, cum Tabularii
 Custos jussu Imperatoris rogasset senten- *p. 167. A.*
 tias, prioris sessionis judicium est con-
 firmatum. Librum in fine subsignarunt
 primum duo Imperatores Joannes Can- *p. 170.*
 tacuzenus, & Joannes Palæologus; dein-
 de viginti quatuor Episcopi: quorum
 primores erant Callistus Patriarcha Con-
 stantinopolitanus, Philotheus Heracleen-
 sis,

Sæcul. XIV.
A. C. 1351.
sis, Metropolita Callisti successor in patriarchatu, & Gregorius Metropolita Theffalonicensis, nempe Palamas. Cuncti titulos vanos & ambitiosos ex more temporis sibi adscribebant; ut: humilis Jacobus Chalcedonensis Metropolita venerabilissimus, ac totius Bithyniæ Exarchus.

Greg. l. 21.
c. 6. not.
p. 798.

Post duos circiter menses Palamitæ Cantacuzeno persuaferunt, ut librum quodammodo consecraret per ceremoniam novam ac extraordinariam. Die assumptæ in cœlum Virgini sacro 15 Aug. in templo S. Sophiæ hora octava post officium matutinum liber solenniter legebatur coram Patriarcha, Episcopis, Sacerdotibus, omni Clero, Magistratibus, & maxima parte populi: tum Imperator suo indutus ornatu in ara suis manibus posuit duo volumina complexa tres libros, scilicet duos contra Barlaamum & Acyndinum, atque hunc postremum, quem numerabant tertium.

§. III.

Epistola Papæ ad Patriarcham Armenicæ.

Sup. lib. 95.
p. 34.

Anno 1346 Papa Clemens ad Patriarcham Armeniæ duos Legatos miserat, Antonium Cajetæ Antistitem, ac Joannem electum Præsulem Coronensem, post-